



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

Fvndi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

euntibus sparsim vtrisque in Appia, sicut & in aliis Italiae publicis viis per viros triumphales munitis, occurrunt? Sic visum maioribus maiestatem ac auctoritatem Imperij Romani per terrarum orbem propagare, summisque laboribus atque impensis efficere, vt eius magnitudinem & potentiam timeant exteri populi, quorum principes atque legati è transmarinis, transalpinisque prouinciis Romam saepius commeantes, vrbs atque Italiae maximum cultum atque splendorem attoniti non poterant non admirari. Delectant igitur atque morantur nunc etiam temporis aduenas quoscunque, nec non exercent ingenia magna, Romanorum operum ruinae immensae passim itinerantibus obuia, quamuis admodum deformatae.

F V N D I

Oppidum quidem paruum, sed situ incundum, ad Appiam in planitie positum, ex ruinis antiquae eiusdem nominis praefecturae surrexit, cuius adhuc cernuntur in vicinis paludibus vestigia propè lacum Fundanum. Ceterum Fundi nunc, vt Germani poetae cuiusdam versibus obiter dicam:

*Collibus hinc, atque inde lacu simul aquore
cinctum,*

*Cirria cui florent hortis, & litore myrsi,
Hesperidum decus, & benevolentia culta Diones.*

Nostro quidem saeculo hoc oppidum insigni est afflictum calamitate per archipiratam Caradinum Barbarossam Turcicae classis praefectum. Qui illud subita incursione cepit, ac civibus omnibus in seruitutem abductis, & aedibus sacris profanatis, totum diripuit.